

rùm is ad rem augendam attentior fuit. Itaque domi parcè vivere, & foris stipendia quærere juvenis sedulò curabat; cùmque res adhuc publica staret, duo munera diutius administravit: unum Municipale, nam Plebatus, qui de Sacco dicitur, pluribus annis Præturam continuavit; alterum Urbanum, Præses namque carcerum diu fuit: quæ erat honesta, & non nisi magnis viris credita in Republica administratio. Ex quorum munerum stipendiis, & item aliis rationibus, quæ amplitudinem potentiamque sequi consueverunt, ingens patrimonium brevi paravit. Et hic quidem Opizoni archiæ conveniebat, quòd essent ex fratribus nati, quòdque ædibus vicini habitarent. Cum ceteris verò Carrariensibus communi consilio versabatur in Republica. Itaque in ea pugna, quæ cum Paulo Dente conferta est, simul cum aliis armatus adfuit, & occiso equo, in quo pugnavat, crure ipse vulnus grave excepit. Et in Nicolaum quoque cum ceteris, Marsilio auctore, consensit. Sub extremo verò, priusquam Urbs Cane de la Scala dederetur, acres cum Ubertino inimicitias gessit; ortæ namque inter eos similitates magnam utrinque diffidentiam pepererunt. Unde & augere familiam, & cautiore incedere utrique cura erat, ut sæpe Marsilius iactaverit, non se jam, uti Guilielmum Dentem, in simplici veste inventum conficiendum ab eo fore. Hanc autem inter eos ingentem suspensionem, quæ ex nonnullis (96) causis nata videbatur, nutribat tamen susurrorum delatorumque studium, quo apud eos cariores haberentur, qui & gestus utrinque notabant, & verba aut alio sensu dicta retorquebant, aut non dicta facillè pro arbitrio dicta fingebant. Eos sæpe Marsilius conatus est reducere in gratiam, crebrò in unum locum convocatos admonens, quid periculi ferret ea conditio, & illud ante omnia memorans, quod Jacobus Grandis supremo jam spiritu monuisset: ita Familiæ nomen dignitatemque mansuram, si concordia esset; contra verò sive ipsam viribus deleri aut labefactari posse. Illi post hos atque hujuscemodi sermones mirè compositi abire videbantur; verùm digressi, cùm delatores denuo audire cœpissent, renovabantur odia; neque enim nisi obferatis auribus calumniantium linguæ prædici possunt. Eoque tandem res spectabat, ut si quis illos fortè casus obvios tulisset, conserturi manus viderentur; ex quo certum erat & Urbi per externum bellum, & Familiæ per intestinam seditionem periculum instare, quoniam nonnisi totius Urbis commotione ea res geri posse videbatur. Nec dubitabat Marsilius, favere Ubertino Marsilium; sed ei animos dabat, quòd si ferro decernendum esset, Populum in suas partes concessurum arbitrabatur, cui Marsilius ex nimia potentia suspectus atque etiam odiosus haberetur. Fulciabatur insuper prædiciis Opizonis, qui erat ei proximus necessarius, habebatque cum illo & vires & consilia ad unum omnia communia.

Ea igitur res Marsilio necessitatem attulit, ut Marsilietum Urbe amovendum curaret, priusquam in apertum discrimen contentio evaderet. Itaque sive re cum Hengelmario constituta, sive ille per se id ausus est, cùm ab eo cerneret alienatam Marsilii mentem, Hengelmarius sumta occasione per quemdam, qui publico carcere continebatur, quibus Marsilius tunc præerat, in contentionem cum illo venit, atque

A ut erat rapacissimus, prædæ causam hinc se natum gavissus, eo digressio Theutones suos mittit, qui Marsilieti aedes diriperent: quòd è ventiglio ut jusserrat factum est. Re autem illi nunciata (fortè enim ille in diversa Urbis parte tunc aberat) non ausus domum redire, ad Marsilium se contulit, sciscitatusque ab eo est, quid sibi factò opus judicaret; ille verò consuluit, ut parumper Urbe cederet, quòd existimaret, non temerè eum tumultum exortum esse: aliud præterea nihil extorquere ab eo potuit. Cùm his itaque Porta Urbis Marsilietus, quæ proxima patebat, se prope extulit, atque inde quamprimum Venetias abiit, sero pœnitens susceptarum cum Ubertino similitatum. Opizo verò sibi timens, quòd esset in eadem causa constitutus, & consiliorum ac inimicitiarum particeps, domi latuit, fugamque clam parabat; sed Marsilius ad domum ejus inermis profectus suspensionem illius minuit, quòd diceret factum id esse inconsiderato furore Germanorum, & privata cum Hengelmario contentione: nihil ad illum eam rem pertinere. Itaque demisit ei metum, quoque confirmaret in dies magis, adhibebat interdum illum comitem sibi, & coequitando spatiabatur unà. Marsilietus Venetias profectus eo loci mansit, usque dum res omnis per Marsilium cum Cane transacta est. Cùmque

C Tadzæ Jacobi Grandis filia, quæ erat Maltino Venetias clam desponsata, ad celebrandas solemnes nuptias Paduam traduceretur, iussus est & Marsilietus redire, eamque comitari venientem. In cujus etiam comitatu, cùm paulò post per summam honorificentiam deducta est Veronam, Marsilietus fuit; & in ea celebritate, quæ ibi maximo Nobilium hominum conventu acta est, inter ceteros & ipse Militiæ auctoritatem à Cane suscepit. Ac in reliquum quidem sub Cane primum, post verò sub duobus ex genere suo Principibus modestè vixit; & erat eis sedulò obsequens. Cùm autem Ubertinus, defectis jam morbo viribus de herede patrimonii successioneque in Principatu cogitaret, hunc potissimum elegit, tametsi nihil illi, vel longinqua cognatione sanguinis, attinentem; Jacobum verò, ac Jacobinum Nicolai filios, quos in Urbem revocaverat, consanguinitate sibi proximis præferit. Quo id sine egerit, incertum est. Certè, quòd constat, consilio fretus Petri de Campagnola Generalis sui Vicarii, cujus consilio pleraque omnia de Republica gerere consueverat. Heres itaque scriptus Ubertini consensu, opeque Vicarii, biduo priusquam ille moreretur, in Principem electus est, & more majorum in publica concione vexillum Populi oblatum accepit; mortuoque Ubertino funus magnificè curavit, & per multam pietatem profequutus est. Jacobus verò & sibi metuens, & ægrè ferens, hereditatem, quæ propinquitate sanguinis sibi deberetur, alii delatam esse,

E seque cum fratre, nullo eorum demerito, majorem juribus privatum, in primisque Carraria, cujus jurisdictio non minus ad se spectaret, hanc injuriam depellere quovis modo decrevit. Super hæc itaque, instinctus etiam dominandi cupiditate, quæ ferè semper magnos animos comitari solet, Marsilietum tollere constituit, hujusque rei confcios amicos fecit, & adhibuit comites sibi plerosque ex magnis Familiis, quorum fidei rem tantam credere ausus est. Ad eam rem conficiendam noctis tempus visum est idoneum, ne quis in Urbe forsitan per diem

motus

(96) MSS. Ambr. ambo: cùm ex nullis manifestis

causis &c. videretur.